

1)
2)
3)
4)
5)

- 1) Praxeos Medicæ Therapia generalis et specialis. 1718. Carl. Halae.
2) de Dysenteria. 1718. Berlenbach. Marburgi.
3) — crisi sive naturae medicina. Sc. 1716. vanden Velde. Marburgi.
4) — aetate et temporibus morborum. 1717. Gieffae.
5) nova methodo curandi fistulas lacrymales. 1716. Heister. Altonfi.

JOH. GEORGII BERLENBACH,

Medicinae Licentiati,

DIATRIBA ACADEMICA

DE

D Y S E N T E R I A,

Vulgo

Son der rothen Ruhr.



MARBVRGI CATTORVM

Typis PHILIPPI CASIMIRI MÜLLERI, Acad. Typogr.

ANNO CICCCXVIII.

JOH. GEORGII BERLEENBVRCH

SCVLPIA TITULI

DIATRIBA ACADEMICA

DE

DYSSENTIA

ACADEMICO

ERGEGE DYSSENTIA

SCVLPIA TITULI

ACADEMICO

PHILIPPI CAVSIMIRI MUSICO, ET ADOPTO

ARNO CLODENSATR.



Medicorum. Hanc invenimus
in libro de medicina et de
dissertatione meorum propositum

PROOEMIUM.



Uisu gratosæ Facultatis Medicæ, editurus publica dissertatione meorum propositum in arte salutari specimen, dum de argumento idoneo delibero, auditur & hic locorum & in vicinia passim grassari dysenteria: Solita quidem acerbitate & ferocia, at, quæ D.O.M. indulgentia est, neutiquam maligna. Hanc igitur, occasione sic quasi sub manus data, describere aliquot pagellis conabor: & quidem stylo Medico. Hoc est non tam per eos *definiendi, dividendi, distinguendi* modos sive nodos, aut ea *causarum genera &c.* quibus dialeætici, & eos imitata Scholastico-rum methodus, rem tractandam, qualiscunque demum ea sit, in universales quasi locu-

A

los

* * *

Ios sive cancellos cogere solent: compendio quidem plerisque admodum concinno & specioso viso; sed ipsi rei minus sufficiente, & ut benè monuit B. de MOOR de instaur. Med. pag. 115, ad usum adeò non accommodato, ut vix ad præceos linem perducat. Præ his igitur imitatus potius Medicos & antiquos & nostri ævi celeberrimos, ARETÆUM, COELIUM AURELIANUM, SYDENHAMIUM, MEIBOMIUM &c. hujus morbi primùm luculentam historiam, solicita & constanti observatione cognitam, proponam; Cui subjungam ea, quæ de parte affecta, ut & ipso affectu, quatenus in notitiam curantis Medici venire & potest & deber, per anatomen comperta, aut per ratiocinium hinc deductum atque adeò omnino evidens, non minus sunt perspecta; denique his, ceu basi humane firmæ innitentem curationem superstruam. Omissis quibuscumque aliis, mentis à rei ipsius intuitu abstractæ, nec satis agnoscantis pusillas suas facultates, vagis atque incertis contemplationibus & opinionibus. Memor veri præcepti CELSI nostri: *cujus rei non est certa notitia, ejus opinio certum remedium reperire non potest.*

L. Dyfren.

I. Dysenterie notio Græca, composita est ex particula δυσ, quæ aliis vocabulis præposita, tūm difficultatem tūm pravitatem & molestiam exprimit, & ἔντερον, intestinum. Hæc ut passim ab Hippocrate & Galeno, cæterisque Græcis usurpata, sic ubique recepta est à Medicis, ipsoque adeò latino Hippocrate CELSO, ut quasi civitate Latina videatur esse donata. Nam is eti subindè affectum hunc *Tormina*, & SCRIBONIUS LARGUS eum patientes, *Torminosos* vocat; retinet tamen uterque & addit Græcum δυσεντέρινος nomen. Nec immerito; cùm Latinæ hæc voces & torminibus quibusunque aliis, Colicis, Iliacis &c. ex æquo convenient, nec id exprimant, quod in hoc morbo præcipuum est; eam nempe, quæ una cum summis torminibus & molestissimo tenesmo fit, humoris aut mucosi aut varii, crurore plus minus suffusi, crebram per alvum excretionem.

II. Multò melius autem, quam per hanc, aut qualemcumque aliam summariam definitionem, ejusque tractatitudinem explicationem, hujus mali hauriemus Medico necessariam cognitionem, si ejus tragœdiam à primo actu per omnes scenas spectaverimus. Invadit frequentissimè, imò si probè animadvertis, semper, cum aliquali rigore & horrore modò intensiore, modo remissiore: Sic ut videoas externum corporis habitum constringi, & venas, quæ alias sub eo tumidulæ prominent, disparere: & alternis vicibus sensu frigoris moxque recurrente volatice æstu extrema corporis pertundi. Tumet inter hæc & molestè distenditur abdomen, turbaturque vagis & strepentibus borborigmis. Hinc tormina gliscunt, & invalescent subito: videlicet acutissimus & intima abdominis occupans dolor, lancinans, perforans, tendens, distrahens; Sic ut umbilicus violenter retrahatur, & intestinorum volumina, arctè compressa, deor-

sùm vi quasi urgeri sentiantur. Hic autem dolor neque fixus est neque uno & æquabili impetu affligit: scilicet non unum locum, ut in quadam colicæ specie ferè fit, seu telum infixum occupat; Sed vagus, & instar retis reciprocus provolvit alternis vicibus; & furiit mox circa umbilicum & hypogastrum, mox circa hypochondrium alterutrum, mox denique circa ilia & inguina; & quidem tanta vehementia, ut à mulierculis partus nixibus & doloribus, iisque intensioribus, comparetur; Et ut passim eò afflictos miseros audias conquirentes, es holet mir nach und nach alle Aldern im Bauch und im Rüten durch. Remittit tamen subinde ab hac vehementia dolor, & qualescumque concedit inducias: in malo leviori ad aliquot horas; quin & eo quamvis graviore, tamen per intervalla saltē, & tunc potissimum urget, cùm exitum molitur excernenda materia.

III. Hæc enim tormenta uti post morulam aut breviorem aut protractiorem redeunt & urgent, sic excernendi conatus sunt plus minus frequentes, iisque in malo confirmatione & graviore tam crebri, ut cogantur miseri unius nycthemeri spatio quinquagies, octuagies, imò centies & amplius desidere; usque adeò, ut eorum nonnulli sellam familiarem deserere vix possint. Etsi autem sàpissimè sic ad entendum cogantur agroti, non tamen æque semper respondet conatui materiæ quæ secedit quantitas. Postquam enim aliquot primoribus nixibus feces intestinorum naturales, & quæ facilè ad eorum canalem confluent excrementa biliosa, serosa & mucosa, sunt egesta; ut plurimum illis tormentis & maximo egerendi conatu, conjuncto cum acutissimo intestini resti ejusque sphincteris dolore lancinante & urente, qui ad lumbos & dorsum usque nonnunquam exporigitur, verbo, gravissimo Tenesmo, extunditur tandem vel nihil, vel singulis his nixibus duntaxat parum, idque varium,

rium; plerumque viscosum, lentum & tenax, instar sputatis ranarum, aut diluti glutinis; rarius album; subinde spumosum, & quasi fermentescendo turgens. Cui aut per omnem morbi decursum ne minimum quidem cruoris admiscetur: quo tamen non obstante (modo frequentes, & una cum torminibus & tenesmo tales sint dejectiones) morbus non minus rectè Dysenteria vocatur, & cum eo haud minore periculo transigitur; ut benè notavit præter alias SYDENHAM IUS oper. p. m. 221. quamvis vulgo die weise Ruh nominetur. Aut, quod ut plurimum sit, suffunditur huic materia plus minus cruoris; sic ut ejus coagulata quasi strigmenta interspersa videantur, sive eo dilutiore tintillum appareat quicquid excernitur: aut denique malo ultrius progressio, sine aliis excrementis, sanguis secedit purus, vel in grumos densos & sub-atros coagulatus: raro, nisi in corpore robusto & valde plethorico, & modica vel saltem tolerabili quantitate contingat, fausto exitu: sed inse-
quente ferè cito morte. Cujus notatu omnino dignum ex-
emplum, de ancilla sua, triginta horarum spatio plus centies
sanguinem sincerum, nullisve aliis mixtum excrementis rejici-
ente, exhibuit LOSSIUS observat. Med. lib. 3. p. 206.
& seq.

IV. Par omnino periculum, quin peior morbi est conditio, cum eo profundius serpente non tam egeruntur excrements sanguineo-mucosæ, sed potius, una cum sanguinolenta & putrida fanic, rejiciuntur ramenta, primùm minora, veluti pelliculae & fibræ, mox majora, velutina massulae carneæ, intestinorum detritoru, vel (ut scitè loquitur Menjotius in *Dissert. pathologicus*) ex foliotorum lamellæ & particulae; de quibus utique verius est Hippocratis aphorismus XXVI. Sect. 4. Si à Dysenteria de-
rente velut carunculae secesserint, lethale. Tantò magis, si talibus secedentibus, interna astuent, & ardore sitim intensam ac
inexpli-

inxplebilem inferente squalcent; Si lingua, interiora oris & faucium varii generis aphthis, seu pustulis ulcerosis, conspersa: aut lingua fissuris, subatram saniem stillantibus & in crustam concrecentibus, scabra; adhæc dolor circa loca affecta continuus atque pulsatilis percipiatur; externa è contrario, sub his ardoribus, frigeant, sive ut graphicè expressit **COELIUS AURELIANUS**, torpore frigido affecta sint. Hæc enim proximè abesse mortem indicant. Eam verò esse quasi præ foribus, quin intra ipsa viscera jam conceptam, nunciatur, si secedente colluvie cruenta dilutiore, aut condensatis grumulis subatris mixta, foetoremque omnino horrendum & cadaverosum exhalante, tormina tamen, quæ hæc tenus cum reliquis symptomatibus fuerunt vehe- mentia, derepentè & inopinatò, sine ulla idonea causa cessant, illisque quasi altum silentibus, æger nihilominus inexplicabili θυσφαιρίᾳ & angustia præcordiorum affligitur, atque inter hæc ex universo corporis habitu (in primis ex fronte & vultu, vae-pallido & collapso, aut à nativa & consueta habitudine utcunque perverso) largè emanantibus sudoribus frigidis difflit, & cum pulsu arteriarum celeri, parvo, inæquali, viribus & vitali calore magis magisque deficitur.

V. Major autem convalescendi spes est, eaque tantò certior, quo ab his, in primis duabus ultimò memoratis conditionibus, morbus abest longius. Qui ferè sic salubriter finitur ac solvit; si sensim enitendi stimulis longiorem moram-concedentibus, mitiorique torminum impetu, materia excernatur non tam viscosa, lenta atque tenax, spuma- mosa &c. Sed potius compactior, & sub hac pacatiore mora sensim magis magisque in formiam naturalium extre- torum congregata & quasi excocta. Quod dum fit, cessante adversa usque adhuc nausea, exsurgunt ut plurimum ructus sub acidi,

sub acidi, vel non ingrate acriusculi, ventris moventur sonori crepitus, alvo tamen consistente, nec simul fusca, expressi. Quibus Medici, de ægroti salute solliciti (nec naturalia, quæ ad eam utcunque conferunt, turpia existimantes, sibive indecora) tanto magis attendunt, quo certior hinc nota comparet instauratae naturalis coctionis, hacque ad matritatem deducere, & tunc demum salubriter secedentis morbosæ materiæ. Hæcque ferè unicè salutaris, saltem unicè expedita, & fida est morbi solutio. Quæ tanto brevius malum finit, quanto citius commemoratae contemporationis & coctionis notæ apparent. Si inter initia accersitus Medicus, naturæ eam molienti convenienter opituletur, intra paucos admodum dies: aut saltem raro tunc ultra decimum quartum aut vigesimum primum diem extenditur.

VI Quod si verò hæc salutaris coctio, secretio & excretio materiæ noxiæ impediatur, medicamentis astrigentibus qualibuscunque, in primis paulò anterioribus (ut solent tonsores male feriati ipsum alumem crudum, varia formula occultatum, cœn magnum arcanum exhibere) aut etiam ipsis terris bolaribus, sub qualicunque demum specie aut credulitate virium alexipharmacarum, intempestivè & inconsideratè exhibitis; Revera idem fit, ac si lupus committatur stabulo. Nempe hæc, primis morbi diebus data, post breves omnino inducias & sufflaminatum effluxum, omnium pessimæ symptomata patrant: Cardialgiam, miras item & syncopicas anxietates; secedente denuo materia, non tam ut ante spissiuscula, aut multo cruento suffusa, sed saniosa, putrida erodente &c. coque pessimæ notæ; utpote plerumque tunc, sic tractatus miser, post squalidissimum internorum astum, & externorum frigus, crebros inter singultus vitæ finem facit. Imò ne quidem morbo confirmatione & jam jam declinante impunè cessisse illa talia syptica, observatum est:

quin

quin potius dysenteriam suppressam, & utcunque sic cedentem, desivisse, quasi per *μετάσασιν* materiae morbosae, in graves articulorum & capitum dolores, ophthalmias, scabiem foedam & alias inquinationes ulcerosas, atrophiam item, aut cachexiam, eamque insequentes tumores edematosos, quin & , paulo infirmioribus & senibus, in paralysin, paresin, apoplexiā: verbo malorum ipsa dysenteria graviorum ceteram.

VII. Præter illum modum commemoratum materiae morbosae, mitigatae & quasi coctæ, per affecta loca secessum, raro aliæ, & per alia corporis secernicula, contingere observantur salutares & veluti critice eccreses. Sudores malum patum levant: quin imò, qui singulos excernendi nixus ut plurimum comitantur, horrores cutis subfrigiduli, evidenter docent sudori tranquillo & constanti non patere locum: ipsamque adeò naturam in contraria huic evacuacione esse occupatam. Par ratio est diureseos: quæ per totum morbi processum, constrictis per consensum rerum meatibus, ordinariò solet esse impeditior. Utraque tamen excretio, malo levato, ut promptè succedit, & forte hærentes adhuc intrà massam sanguinis materiae noxiæ reliquias eliminat; sic potius morbi devicti consequens & indicium, quam causa est. In sequiori quidem sexu menstruorum & lochiorum fluxus, Quibusdam, & Ipso Sennerto visus est malum levare, imò solvere; sed id numerandum inter exempla rariora occurrentia.

VIII. Et quidem haec tenus veræ dysenteriae, & quatenus per se morbus est, vera historia: eaque non tam ex speculatione otiosa, neu Auctorum confusè talia ut plurimum narrantium lectione, quam potius ex attenta & solerti observatione; quam benevole, pro Suo in me favore, mecum

cum communicavit D. D. van den VELDE. Serenissimi
Hesse Landgravii Archiater & Med. Profess. Prim. h. t. Ma-
gnificus hujus Academie Rector. Cæteras, quotquot sunt,
dysenteriae species, varia & diversæ indolis febres, continuas
aut continentes, synochos putridas (quas omnes promiscue
nostri ævi Medici, notione minus adæquata, malignas vo-
*cant) ut & febrem petechiale, variolas irregulares &c.
comitantes, & hinc malignas dictas, hic non æque conse-
ctamur: non enim Iliada scribimus (& qui possumus paucis
pagellis?) malorum tot & tam diversorum: quorum sive
ἐπιγενόμενοι, accessio, vel productum, sive symptoma anci-
pitis omnino aleæ, ut plurimum funestum, talis dysenteria
potius est, quam unus, peculiaris, & primarius morbus.
Illa autem Chronica & longissima dysenteria, quæ protracta
per aliquot menses non solum, sed & solidos annos, apud
observat. Medd. Script. v. gr. HILDANUM, FORESTUM, CLAUDINUM, quin imò (quis credat?)
per integrum decennium apud BALLONIUM Consil.
lib. 1: continuasse legitur; non tam vera dysenteria fuisse in-
telligentibus appetet, quam potius cruenta alvus ex haemorrhoidibus internis; eas aut comitante, aut post brevem
moram idemtide recurrente diarrhoea, plus minus tormi-
nosa: cuius bina luculenta exempla mihi narravit, honoris
*causa modo nominatus D. D.**

IX. Ut autem hinc pedetentim in causarum, tum ex-
 ternarum & procatarcticarum, quæ futuro morbo materiam
 præbent, tum conjunctæ, & quæ ipsum morbum format & con-
 tinet, evidentem, pro scopo nostro, & quantum fieri potest cer-
 tam notitiam inducamur; Notandum primum est, quod obser-
 vando non minus constat, dysenteriam hactenus nobis descri-
 ptam subinde quidem, at respectu aliorum morborum, pau-
 lò rarius ἐπορθαδίνεις i.e., sparsim & privatim, unum atq; alterum

hominem, ex causa unicuique privata, corripere: Frequentius vero ~~ἐπιδημίας~~, populariter, in una, & huic vicinis, aut pluribus Regionibus, sic grassari, ut uno eodemque tempore plures simul ea decumbere cogantur; & quidem promiscuè adeò, ut nulli parcat neque ætati neque sexui, sed lactentes pusiones, (ut hoc anno exemplis sic satis frequentibus nobis constitit) æquè ac pueros, nec minus adultos quam senes, viros pariter ac foeminas invadat. Unde in promptu est colligere, præter rationem vietus, in tot omnis generis hominibus tam diversam, aliam eamque omnibus communem debere esse mali causam; Aerem videbit; cuius solius usus communis omni huic hominum generi est. Quod ut agnoscunt passim authores, sic ferè, dum quale sit commune hoc aëris vitium, investigare laborant, mire fluctuant. Nec mirum; quia omnem epidemicam dysenteriam malignitatis non expertem, hincque non nisi peculiari ratione venenatam sibi fingunt: quos tamen hujus anni dysenteria egregiè erroris arguit, & refellit. Plerique harioitantur subesse aliquod miasma vel inquinamentum, quod respiratione, aut una cum deglutita saliva intrò subeat; quodque aut arsenici aut alijs veneni, utcunque acris aut corrodentis, naturam referat: quæ sententia, quod meritò mireris, & Clarissimi Peyeri est, *Exercit. Anat. de glandul. intest.* Sunt alii, qui cum Fernelio *de abdit. rer. caus. lib. 2.* ad occultum & adversum corporum celestium (ætheris peregrini) influxum confugiunt. Alii, præter hæc talia, comminiscuntur alia; quæ nobis, qui evidenter & certa consecutamur, non probantur. Inprimis cum nobis videatur omnino esse perspectum, vel solam aeris intemperiem, ut morbis aliis atque aliis, pro mira sua varietate, sic & gignendæ dysenteriæ abundè sufficere. Quod jam dudum, qua fuit sagacitate, animadvertisit noster Hippocrates. Qui usu eductus passim

in librīo

in libris *Epidem.*, item de *Aere, aq. & loc.* docuit, tempestatum varietatibus & insolitis mutationibus, si aliquando diutius persistant, aut nimium excedant, dysenterias cooriri. Et speciatim *Sect. 3. Aph. 11.* notat: *Si quidem hyems secca & aquilonia fuerit, ver autem pluviosum & australe, necesse esse aestate (præsertim si ea fuerit calidior, ut lib. de aer. & loc. addit.) dysenterias fieri.* Conferatur *aph. 12. & 16. ejusd.* *Sect.* In nostra sanè Germania, ejus præsertim tractibus magis temperatis, rarissime alias observamus dysenteriam epidemicam, nisi aestate per omnem ferè sui decursum feruidore; & quidem ea adulta, & jam jam in autumnum declinante: nempe (uti & hac aestate oppidò astuosa contigitisse tigisti notum est) per mensem Augustum potissimum, ad medium Septembri usque. Sic ut meminerimus in Suevia veluti proverbio ferri, tunc demùm ad justam maturitatem excoqui uvas, si dysenteriae vigeant in populo. Hinc etiam fit, ut incolis regionum calidiorum, quæ æquatori ipsique adeò Zonæ torridæ subjacent, aut sunt vicinæ, dysenteriae tam graves, tam frequentes, & tantum non endemiae sint: ut de *Ægyptiis, Arabibus, Afriis, Indis,* ex itinerariis constat; & hos inter de *Javanensibus* commemorat *J. BONTIUS lib. 2. hist. natur. Med. Ind. Orient.* ut & de *Indis Occidentalibus, in primis Brasiliensibus, autoptes pariter GUILIELMUS PISO lib. 2. hist. nat. Brasil. C. 12.* refert, esse illis dysenteriam nimium familiarem, ob aërem calidissimum & una humidulum, motosque hinc sudores, vi venti mediterranei, & frigoris in primis nocturni improvidè admissi (uti & apud nos commemoratis mensibus fit) subito retroactos. Quo quidem aëris fervore diurno & diurno vix aliter fieri potest, quin primum massa sanguinis insigne ter colliquecat; hinc dissipentur auctiore transpiratione & sudore humores tenuiores, magis fluxiles & blandi; qui nisi convenienti viatu regimine mox restituantur, sanguinis Lym-

pha, destituta diluto suo vehiculo, mucescit, & una cum sanguinis partibus oleosis, s. sulphureo pinguibus & salinis fixioribus, coalescit in crama lentum, cœu, ut quidam sat scite, in massulas irrefolubiles: quibus, ut neque per transpirationem, in primis admisso nocturno frigore cohabitam, neque per diuresin, aliaque corporis seccernicula, patet satis aptus secessus; sic ad intestina adactæ hæ massulæ irrefolubiles, salino-sulphureæ acres & ad urentes, qua ratione dysenteriam pariant, infra liquido, ut puto, constabit.

IX. Vigente hac tali aeris intemperie, res aliæ sic dictæ non naturales, quæ vulgo argui solent, tanto magis nocere, & futuro morbo veluti materiam præbere possunt: cum aliæ eæ ipsæ non æque, nec nisi aut valde abnormis earum committatur abusus, aut in mox dicendis certis quibusdam subjectis, satis efficaces sint ad concitandam dysenteriam, aut eam tantum sporadicam gignant. Illarum rerum (præter venena variæ generis, arsenicalia, mercurialia, & purgantia draistica, imprimis colocynthiaca, aliaque quæ dicuntur toto genere contra naturam) numeratur ab Authoribus mira copia; non omnis commemoranda; nam quis foret finis? & quidem aliæ paulo rarius occurunt, ut est aquæ per plumbeos decurrentis aquæ ductus, situ præsertim & rancore temporis tractu corruptos, aut in talibus ut & cu-preis vasis diutius asservatæ, potus, de quo Mercurialis & alii. Rubigo item uredoque, ut loquitur Plinius, uvas fructusve alios fugaces conspergens, aut pullities verminosa fruges & olera inquinans; vid. *Miscellan. natur. curios. anno 1672. observ. 88.* & alibi. Aliæ observantur frequentius; quales sunt ipsi fructus horarii, cerasa præcocia, dilute dulcia, mala persica, melones, pepones, cucumeres, uva item, & præprimis pruna, eorumque omnium nocentissimæ vulgo habita, cerca, die gelbe Spillinge; uti apud Indos notante Bontio,

Bontio loc. c. promptissimi dysenteriae genitores, fructus ananas, & melones aquatichi. In eodem fere censu sunt mustum, & cerevisia fæculenta, cruda, recens & fatuæ dulcedinis; verbo, cuncta ea sive esculenta sive potulenta, quæ promptè & vitiosè fermentescunt; sique in liquamen facessunt non solum mucidum, sed & halituosum, acido-acre, & simul vapidò-putridum; hinc semet latè diffundens, & proinde intimos corporis recessus facilè penetrans. In primis si talium abusus committatur ab otiosis, tenerioribus, quorum ve digerendi facultas aut est imbecillior, aut quorum corpus, primæ præfersim alimentorum viæ, vitiosas fermentations facilè concipiunt & quasi fovent, uti sunt præ cæteris phlegmatics & cholericis; dysenteriae, sub his causis, omnium maximè obnoxii.

X. Morbosus ille apparatus, de quo pro instituti nostri ratione hac tenus, quantum & qualem intus in corpore crevit noxam, non melius patescat, quam si ea, quæ dysenteria denatorum anatome docuit, colligemus; sic enim rem non conjectura, sed oculis ac manibus comprehensam, tenebimus. Utamur vero testibus viris perspectæ omnino fidei & peritiae, proinde omni exceptione majoribus. Inter illos primum FELIX ille PLATERUS mantiss. observ. Med. p. 25. & seq. refert intestina, & præ cæteris ileon, suisse roto ductu ad colon usq; intrinsecus in numeris ulcusculis, non nisi trium digitorum latitudine quoqua versum ab invicem distantibus, plurimisque intestini substantiam pervadentibus, consitum, ac adeò corruptum, ut ipsum levi negotio ubique discerpi potuerit; ac colon internè fætidissimis, cruentis, & saniosis sordibus ubique oblitum. Confirmat hæc ex autopsia saepius iterata COBERUS, qui cum plura dysentericorum cadavera aperuisset (crebra in castris Pannonicæ, ubi Medicus fuit, data occasione) intestina passim palmum latis apostematibus & ulceribus, multa sanie scartarentibus

ebullijſſe

rientibus, veluti ebuliffe vidit, vid. ej. obſſ. Med. (à Celeberr. Meibomio, propter res plures ſitu utiliſſimas, quæ curioſe & candide in iis recenſentur, typis iteratæ) decur. 2. obſ. 10. Conferatur BARTHOLINUS hift. anat. 2. Cent. 6. Ut autem talia apostemata ulcerofa ſine prægressa inflammatione, ut intelligentibus notum eſt, neutiquam fiunt; ita & ejus non defunt exempla: ea tamen non æque copioſa, ideo ſine dubio, quod dyſenteria quamdiu intra inflammationis terminos ſtiterit, paulo ratiuſ mortem inferat. Observavit verò Johann. de la MONIERE cùm dyſenterici cadaver curioſius perlustraret, inter alia inſignem inflammationem pylori & tenuium intestinorum: ut teſtatur ſingulari & lectu di- gniſſimo libello de fluxu dyſenterico pag. 4. Et PLATE- RUS itidem cùm corpusculum pueri quatuor annorum aperires, intestina crassa tumida, ac ſi inflammata fuiffent, livida depre- hendit: loca enim inflammata uti rubere in viventibus, ſic in mortuis livore ſolent. vid. obſ. lib. 3. p. m. 875. conferatur WEPFER US de circu. aq. p. 47. Muſto ſepiuſ intestina reperta ſunt poſt funefatam talementum inflammationem, gangraena & sphacelo corrupta; ſcilicet ſubatra, putridum tabum ſtil- lantia, indeque ſic resoluta & eliquata, ut levi attractu hic illuc dehicerent; uti à pluribus annotatum eſt, v. gr. præter modò citatum de la Moniere, FABR. HILDANO, lib. de gangraena c. 4. BARBETTE prax Med. lib. 4. c. 5. J. J. HARDERO M. C. N. D 2. anno VI. Reliqua intesti- norum dyſenteria affectorum, exprægressa inflammatione, hancque inſequente aut apostasi ulcerofa, aut putrilagine gangrenosa & sphacelosa, damna, modo excoriationes, & ad ſummam tenuitatem uisque attritiones, modo aliquot locis perforationes, vide relata in variorum observationibus, a BO- NETO lib. 3. Anat. pract. ſect. 9. congeſtis.

XI. Hæc

XI. Hæc verò uti non temerè quis habebit pro dysenteriæ qualiscunque, etiam non lethalis, causa; cum potius sint hujus morbi, & quidem pessime cedentis & funestii, producta atque effectus; & adhæc egregia PANAROLI observatione, Pentecost. l. 9. constet, in sectione quamplurimorum dysenteria de funectorum nihil ulcerosi (aut alter corrupti) sed sanguinem tanum effusum, in intestinis crassis repertum fuisse: sic tamen ex ipsis illis effectibus obvium erit de causa continente colligere, dabitur tantò evidenrius eam, ut & omnem formalem, quam dicunt, rationem morbi ipsis quasi oculis intueri, si quæ de intestinis per anatomen constant, aut aliunde in aperto sunt, & hoc spectant, porrò supposuerimus.

XII. Constat igitur I. intestina quæque ex tribus, omnino distinctis & veris, tunicis esse constructa (α) externa communi, membranacea; cellulis pro continenda pinguedine undique instructa; quæ cellulæ num meritò à Ruyshio pro peculiari tunica habeantur, nos, ut ejus generis micrologias alias, hic non disquirimus. (β) Media carnosa, seu propriè, ut revera est, musculosa. Constat enim ex fibris motricibus carneo-tendinosis, in diversos & distinctos fasciculos adunatis: & quidem duplicis ordinis; siquidem istarum fibrarum aliæ, quæ tunicam externam membranaceam contingunt, directe per totum intestinorum tractum in longitudinem sunt protensa, rectæ sive longitudinales hinc dictæ: aliæ his substrata, vulgo annulares, minus propriè, potius spirales dicendæ; nam spiræ in modum convolutæ sunt, sive una & continua procurrentes serie (quod fieri non posset si annulares forent) omnem intestinorum ambitum dense undique circumdant. Ut verò istæ duplicitis ordinis fibræ sibi arctè sunt conjunctæ, sic rectæ illæ subjectas spirales ubique secant ad angulos ferè rectos, eum in finem, ut con-

ut conspirante ambarum sic colloccatum actione, motus contractilis (quæ actio cuiusvis musculi propria est) fiat eo validior; quod præter WILLIUM, BELLINUS & eum secuti alii, vel Mathematicè demonstratum dederunt (*y*) Tertia & intima tunica, sic dicta nerveo-vasculosa, seu glandulosa; est enim contexta ex fibrillis nerveis tenerrimis, quas inter densissimo agmine collocata vascula sanguifera, propagines infinitas, & minutissimos (sanè multò minutiores quam capillares) ramulos dimittunt; quorum ramulorum plures in unum juncti complexum, formant sive veras glandulas, sive earum duntaxat specimen referunt; (nec enim hanc à Ruyshio motam controversiam decidere, ad rem quicquam facit) & qualescumque demum sunt, desinunt in copiosissimos ductulos excretorios, humore aequo & subglutinoso assidue madidos. Hæc intima tunica, ut est valde tenera & sensilis, sic impressiones rudiores quorumvis excrementorum, etiam naturalium, sine insigni molestia non ferret, nisi esset undique oblita, & quasi loricata, crux mucosa: quam alii *περιστορα*, alii velamentum bombycinum nominant, alii pro peculiari habent tunica, quam villosum vocant, minus tamen propriè, cum isti villi, quibus interior intestinorum paries confertissime instructus observatur, tantum sint propagines tunicæ nerveo-vasculosæ. Quicquid sit, hoc certum est, hac crux mucosa sic regi sensilem illam & teneram tunicam nerveam, ut assumpta quantumcumque actiora, verbi gratia spiritus acidi minerales & alia quasi caustica, impunè & sine molestia transseant.

XIII. Constat illo ad intestina, ceu communem microcosmi cloacam, derivari & confluere non solum recrementa ex alimentis rudiora, & id quod in bile excrementitum est; sed & in ipsis intestinis, ceu organis secretoriis & colatoriis
magis

magis universalibus, pancreate pura, & præsertim infinitis illis vasculorum glandulosorum meatibus, veluti cibris, jugiter fecerni & excerni ex ipsa massa sanguinis, mole & copia aliás onerosas & mixtione naturali noxias futuras, partes aquaeas, serosas, & una cum his alias per transpirationem aut diuresin non æque promptè secedentes, plus minus mucosas & in tenacem spissitudinem morā & lentore coalescentes; uti vel ex ipsa hinc congesta, & modo dicta, crusta mucosa apparet; & alvi fluxus serosi, pituitosi &c. veluti critici, graviorum morborum averrunci, totâ die docent, quorum omnino notatu digna exempla exhibet CAROLUS PISO de Seri Colluv, Sect. 4. c. 1. & PECHLINUS Lib. I. Obs. 52. & 55.

XIV. Constat III. intestina à summo ad imum, jugiter, sed alterna serie & veluti undante agitatione, instar lumbricorum prorepentium, contrahi & distrahi motu, peristaltico dicto; Qui fit actione fibrarum musculosarum & motricum, quas modo ex autopsia commemoravimus; & quidem dum spirales fibræ, alternis vicibus constrictæ, intestinorum cavitatem coarctant, & rectæ simul æqualiter intensæ brevioresque sic factæ, partem intestini unam ad alteram proprius adducunt. Hæ autem fibræ utriusque ordinis motrices, salutari naturæ instituto, instinctum ac incitamentum nanciscuntur ab arte conjuncta & intima tunica nervea, ejusque naturali sensu: ut experimentis sic satis firmis jam dudum docuit WILLIUS. Hinc igitur & varie modifcatur iste motus peristalticus, prout varia est materia, per intestinorum canalem promovendæ & excernendæ, conditio. Chylum ad radiculos vasorum lacteorum, & ejus recrementa deorsum blande cogit, mitibus, paulo lenitoribus & remissioribus contractionibus. Incitatur autem & acceleratur is peristalticus motus, quoties non æque

C

con-

congruens materia ejusque major copia excernenda veniat, ut in jam jam dictis diarrhoeis sit. Et quidem aut sine insigni molestia: si obsequens materia promptè fluat, hincque fibræ celerius tantum agitatæ, undique æqualiter, nec ultra naturalem tonum extendantur. Aut è contrario majori violentia & tormento; si qua materia, structuræ tunicae nervæ prorsus inconveniens ejusque destructionem moliens, firmius impasta hæreat; ad quam excutiendam, ceu sensui naturali molestissimam, non solum crebrioribus, sed & validioribus & naturalem fibrarum intensionem superantibus contractionibus, atque adeò spasmodicis seu convulsivis omnino nixibus opus est.

XV. Igitur reperta erit dysenteriaæ formalis causa, reperta ea materia, quæ potis est tales concitare nixus excernendi spasmodicos. Communis hucusque *D. D.* ad unum omnium, opinio est, in ipsa intestinorum cavitate talam contineri materiam; videlicet acido aerem, ex fructibus horatiis, aut rebus sic dictis non naturalibus, intemperatis collectam, & ibidem cum cæteris humoribus excrementitiis, in primis bile p. n. acriore quasi fermentatam, siveque pollentem peculiari vi pungente, vellicante & erodente. Quæ tamen opinio morbi veris phœnomenis non respondet, eoque nobis probari neutiquam potest. Nam, ut ei redarguendæ pauca solum, ne præter rem prolixissimus, adducamus; non equidem id urgebimus, quod tamen constat planissime, multos dysenteria fuisse correpros, qui nullis fructibus horatiis, nullisque aliis tali suppositæ materiae gignendæ aptis rebus abusi fuerunt, imò & eos, qui talibus uti ne quidem potuerunt, ut infantes lastentes. Concedimus enim ex aliis causis potuisse in intestinorum cavitate accumulari excrements, irtunque & quantumcumque ve-
lint acria; sed an ea tunicam nerveam illico sic rodere & vel-
licare

licare queant, ut tanti hinc exsurgent nixus spasmودici, tan-
ta tormina, tantaque alia dysenteriam comitantia sympto-
mata, hoc est quod merito perneggamus. Quoties $\alpha\omega\eta\omega$ $\kappa\alpha\tau\omega$ excernitur bilis æruginosa, porracea? &c. verbo, quo-
ties humor acerrimus? sic ut dum effunditur, dentes stupe-
faciat, aut ani sphincterem nudum excoriet; sine ulla tamen
torminibus, aut iis saltem vix effatu dignis, nedum com-
parandis cum torminibus dysentericis? sanè tota id die in
cholera & reliquis diarrhoeis observatur. Mucosa enim cru-
sta, ceu lorica, sic tegitur interior intestinorum paries ner-
vosus, ut talia acria impune transeant. Vulgo quidem ob-
tendunt abradi sensim & prius hanc crustam, hinc rodi tuni-
cam nerveam: quod ut ut non negemus alias fieri posse,
sic tamen evidens est, dysenterica tormina vel statim in pri-
mo morbi principio esse admodum vehementia, eaque o-
mnino repente erumpere, & multò prius, quam abradi cru-
sta illa potuit, aut certe ejus abrasæ ulla vestigia in excremen-
tis visuntur. Sed quid his immoramus diutius? cum qui-
dem, quod merito mireris, prostent satis frequentia exem-
pla, $\sigma\eta\phi\epsilon\iota$ erosí, exulcerati, putrefacti ventriculi, eadem
que ratione ut & lumbricis perforatorum intestinorum, sic
ut feces per fistulam in abdomine hiantem, per aliquot an-
nos quotidie prodierint; nullis tamen hinc concitaris, quæ
dysentericis torminibus ullo modo similes fuissent, doloribus
& nixibus spasmودicis. vid. SALTZMANNI obs. anat.
pag. 58. & seq. STALPERT van der VVIEL cent. I.
obs. 59. & 60. ibique allegati Authores. M. N. C. decur. 2.
annii 1. obs. 120. & alibi.

XVI. Jure igitur concludimus aliam esse, & ner-
vosæ tunicae aliunde suffundi, tantos nixus spasmودicos con-
citantem materiam; ex ipsa nempe massa sanguinis. Nec
est ut ulterius investigando multum laboremus. Præstò est

materia: videlicet ex lympha mucescente & sanguinis partibus sulphureo salinis coalitum crama, lendum, acre, causticum; cui gignenda omnes procatarcticæ causæ, ut ex §. 9. & 10. constitut, comparatae sunt. Sunt pariter in aperio, per quas subit, via: scilicet numerosissimi illi plexus vasculorum glandulosorum, quibus intertextam esse tunicam nervosam, ex §. 12. lit. (y) constat. In hac igitur vascula, ceu à natura constitutum colatorium (vid. §. 13.) humoris mucescentis, neque per alia secericula æque excernendi, cùm quidem crama illud jugi & circulari sanguinis motu congeratur, nec tamen possit ob sui lentorem & spissitudinem prompte seceri & excerni, sed interceptum in media veluti via hæreat; non possunt non, urgente sanguinis à tergo insequentis impetu, vascula quibus inhæret moleste & ad rupturam usque extendi, hincque violenter & sic premi, concuti, ura tenera tunica nervea, ut exacerbatus acuto dolore ejus sensus naturalis, instiget & concitet motrices intestinorum fibras, ut infixa materia inconveniens excutiatur, in nixus & agitationes spasmodicas. Q. E. D.

XVII. Videamus igitur, quantum fieri potest paucis, quomodo ab his nixibus spasmodicis, sive convulsiva motus peristaltici incitatione, ceu formalí dysenteria causa, symptomata & effectus morbi producantur. Tormino sane, non uno tenore, sed alternis quantumvis citatis vicibus affigentes, nec unum locum occupantes, sed reciprocè vagantes, seriem motus peristaltici sic acerbat quæ dígitò indicant. Cujus citato impetu & violentis idemtide contractionibus non potest non quicquid in intestinorum cavo continetur effundi: hinc primò secessus materiæ varie, post mucosæ; cum sepius iteratis & auctis illis contractionibus & parietum intestini affecti violentis confriictionibus, sensim exterritur & excutitur mucosa illa crusta: & quidem aut cruore non

+ si dolores

non mixta, visci sive glutinis diluti, cui omnino similis est, forma & consistentia: aut crux plus minus suffusa; si vascula sanguifera, jam antea ad rupturam usque infarcta, nunc vero & externo tectorio denudata, violentis illis fibratum contorsionibus attrita, dehiscant, sanguinemque in intestinorum cavum transmittant aut effundant. Sin vero illis ipsis vasculis sanguiferis intrusæ massulæ sanguinis irresolubiles inhærent, hic illic firmius compactæ, quam ut possint aut æque effundi, nedum ab insequentis sanguinis motu & pressione auferri & discuti; sed potius ipsum sanguinem per impeditos istos meatulos iturum intercipiant; sic ut ejus plus influat jugi arteriarum pulsu, quam per venarum oscula queat refluere; circa loca sic affecta fit inflammatio: quæ sensu ardoris, & doloris continuo atque pulsantis, se prodit. Hæcque inflammatio aut in ulcus saniosum abit, (nam veræ suppurationis in locis sic affectis spes nulla est) cum aucto sanguinis insequentis pulsu, & contrusi attritu, divellitur naturalis massæ sanguinis mixtio; sic ut partes aqueo-serosæ cum sulphureo-salinis magis extenuatae, & à reliquis crassioribus terreo-mucosis diremptaæ, secedant sub forma saniei sanguinolentæ & putridæ. Aut planè desinit hæc inflammatio in gangrenam, atque ultimam & funestissimam morbi analysin, sphacelum; cum fiente hac tali partium sanguinis integralium dissolutione & putredinosa colligatione, partes corruptæ à cæteris magis intactis non discedant & secernantur, sed relictaæ, una cum illis in plenam & absolutam abscent putredinem; quæ prompte ulterius serpente & affecta intestinorum loca & his vicina sic corrumpuntur, ut in tabum resoluta, calore atque sensu vitali penitus priventur.

XVIII. Quicquid hæc tenus in exigenda vera morbi historia operæ, quicquid studii in indagandis ejus causis & formalí ratione consumptum est, id omne ad hunc finem,

qui genuino Medico usque quaque præcipius esse debet, spe-
ciat, ut hinc, ceu veris fontibus, certæ, tutæ, efficacis me-
thodi medendi hauriamus indicationes: ne more andabata-
rum, obcoecatis oculis, oppugnaturi morbum vitalia fe-
riamus, sed saluti hominum, quantum possumus homines,
recte consulamus. Cum igitur evidens omnino sit, con-
vulsivam motus peristaltici incitationem, ceu naturæ machi-
nam, eo quidem intendi, ut materia morbi, intimæ intesti-
norum substantiæ infixa, validioribus istis convulsionibus &
contractionibus excutatur; æque tamen in aperto sit, eam
materiam firmius esse impactam, & spissiorem, quam ut
queat eluctari per arctissimos illos vasculorum meatus; hinc-
que illis motus peristaltici agitationibus convulsivis, & tor-
mentis ulterius intensis & exacerbatis, ceu ferocientis in sua
damna naturæ impetu, gravissimam & tandem funestam in-
fieri intestinorum læsionem; hæc inquam cum ita sint, si
quid in re perspecta video, hæc demum erunt desiderata illæ
& genuinæ indicationes, ut

I. Materia morbi hactenus ad secessum incepta, se-
cretioni & excretioni aptetur.

II. Hincque (cum sic præparata multò mitioribus
nixibus excerni queat) mitigetur convulsiva motus peristal-
tici incitatio.

III. Læsiones intestinorum graviores, à violentis il-
lis concussionibus & tormentis metuendæ & futuræ, aver-
tantur, aut jam illatæ, quantum ejus fieri queat, resar-
ciantur.

XIX. Sic constitutis indicationibus, patet materia
Medicæ promptuarium: ex quo equidem, ut confido, se-
cure possemus desumere his intentionibus accommodata &
respondentia medicamenta. Ne tamen sententiæ nostræ ni-
mium videamur tribuisse, ut solent, qui sua tantum amant,
admi-

admirantur, obtrudunt, videamus quid jam dudum in cōm
mune contulerint Medici, in primis usu & doctrina præstan
tes, & sequentium velut antesignani. Studio tamen præ
teribimus Hippocratem, qui dysenteriae curationem nusquam,
quod scio, absolutam dedit; Ut & ipsum Galenum, quam
vis plura quæ scire juvet, habeat; ne (ut fit, cum ii frivo
lè judicant, qui sibi vix semitam sapiunt, viam tamen aliis
monstrant) habeamur pro Galenicis; risum teneatus amici?
FERNE LIO igitur præ Primis utamur præmonstratore
qui lib. 2. Therap. Universal. c. 11. Spontanea, inquit, va
cuatio, materia morbi nihil detrahens, veram atque legitim
am non excludit. Quod igitur morbus exposcit, protinus
vacuandum. Eaque ex causa in dysenteria purgans medica
mentum offertur, ut (NB.) quod sensim & languide per an
fractus parum idoneos elabitur affatim per ductus convenien
tiiores derivetur & defluat. Huic succenturietur meritissimò
BALLONIVS, cuius est omnino observatu dignus locus, consil.
23. lib. 2. apud Bonetum labyrinth. extricat. p. m. 288.
cū in dysenteria excretio sit parva & frequens, ideoque sym
ptomatica, faciendum est ut contra fiat rara & magna: id
quod medicamentum purgans ritè comparatum præstabit; igi
tur sensim atque sensim moliri debes evacuationem, nam ter
tia aut quarta purgatione multum educes bilis, seri, pituita,
quod vix quindecim diebus natura (sibi relictā) dejiciat. Con
feratur SENNER TUS Prax. lib. 3. p. m. 344. & seq. Quæ
quidem & ideo adduximus paulò prolixius, quia audivit
nostra ætas exclamantes, at quanta insolentia, quanta àne
gia, longè errare, & Lege Aquilia teneri qui dysentericos
purgant. Cum utique iidem illi censores, quoties non phi
losophantur, sed Medici partes severa lege agunt, ad Rha
barbarum cum Galenicis redeant.

XX. Hactenus igitur cum nostra prima indicatione congruunt Citatorum Auctorum præcepta , ut quam nos intendimus materiæ morbi secretionem & excretionem, moliantur per cathartica , & ea quidem mitiora , at idemridem primis morbi diebus iteranda. *Cassiam* cum *Tamarindis* f. q. mixtam & in pulpam , hinc bolum aut non ingratam potiunculam concinnatam , præferre cæteris videtur *Ballonius* , lib. cit. p. m. 309. eamque multo usu & sibi & suo præceptore Hollero fuisse probatam adserit. Plerique Rhabarbarum præmalunt : & quidem sine ulterioribus præparationibus , ut maceratione , ut infusione cum oleo amygdalino & expressione , ut tostione & reliquis vanæ artis nugis , sibi relictum , in substantia. SYDENHAM IUS , solertissimus practicus , sibi observasse visus est , Rhabarbaro si admisceatur *Manna* & *Syrupus rosarum solutivus* (Ea nempe , quantum video , quæ emolliendo meatus lubricos faciant & pandant) pleniorum fore catharsin & malo exhauriendo aptiorem : hinc oper. p. m. 226. & alibi sequentem commendat potiunculam : *Rz. Tamarind. zB. fol. senn. zij. rhabarb. zB. cog. t. f. q. v. solv. in colat. ziij. manna & syrp. ros. solutiv. à zj.* hancque tribus primis morbi diebus manè propinat. His & similibus , quæ passim usu recepta videoas , & cunctis aliis è regno vegetabili catharticis , præferr BOYL IUS , experientissimus rerum naturalium indagator , & novo in hoc morbo exemplo , ac forte plerisque paradoxo , commendat *mercurium dulcem* : confirmatus experimentis tum suis aliquot , tum sæpius iteratis Chirurgi castrensis ; quem tanquam singulare arcanum *mercurium dulcem* à *zj.* ad *zB.* mucilagine sanguinis draconis obvolutum , ad dysenteriam exhibuisse , eaque decumbentes aliquot centum milites sanitati restituisse , testatur libello curiosissimo , de S. M. U. p. m. 52. Remedium sanè ut non impunè unicuique Cinifloni imitandum , sic , si tempestive

pestive & accommodate à prudenti Medico adhibeatur, plus
fortè præstiturum, quam prima fronte promittit.

X XI. Præter hæc, nostrâ demum atate passim in-
crebuit usus radicis exoticæ *Tpecacoanne*, à Brasiliensibus sic
dictæ. Nam ut dysenteria his Barbaris malum est tantum
non endemium, sic ad eam ipsam remedium solenne & vel-
uti publicum radix hæc indigena: ut jam dudum ex P ISO-
NIS & M A R G R A V I I hif. nat. & Med. Bras. ante hos
LX. annos edita publico potuisset innotescere. At verò, ut
ut his viris luculenter ex autopsia fuerit descripta & commen-
data, usque tamen Europæis neglecta jacuit, donec quatuor
fere abhinc lustris hujus radicis (titulo novi specifici dysen-
terici) ex Hispania allatæ copia fieret HADRIANO HEL-
VETIO, Belgæ, Medicinam tunc Lutetiæ Parisiorum fa-
cienti: Is qua fuit solertia & dexteritate, novum hoc (ut vel
putabat ipse, vel sanè callidè simulabat,) remedium Aulæ
Règiæ nunciat, petitque ejus in dysenteria tum epidemica
experiundæ facultatem publicam; qua data strenue usus,
experimentis sæpius iteratis sic probatam dedit salutarem sim-
plicis hujus remedii efficaciam, ut ad sui imitationem com-
moveret alios Galliæ & cæterarum regionum Medicos. Hinc
adèd factum ut spreta primum, nunc usque quoque vel lip-
pis atque tonsoribus crepetur radix *Tpecacoanne*: utinam fre-
quentius ac fit cum ægrotorum salute. Est enim remedium
ut efficax, sic in utramque partem (ut quævis alia genera-
fiora) æque validum: prodest egregiè si opportunè adhibe-
atur, nocet egregiè si inconvenienter. Cæterum adverten-
dum est id, quod ut plurimum nec impunè negligitur, tres
esse radicis *Tpecacoanne* species, ut differentes colore ita viri-
bus; prima alba, omnis fere amaritiei expers, mitissima: al-
tera sub flava, saporis blande amari & resinosi, paulò for-
tior: omnium fortissima tertia, nigra, valde amara, acris,
resinosa:

D

resinosa. Duæ priores species cum apud nos hoc tempore inventu ferè sint rariores, nigrae promiscuus usus & abusus est. Datur in principio morbi, mane per tres continuos dies, homini adulto firmiori à 3ß ad 3j in pulverem solum contusa & iuscule vel alio apto vehiculo diluta: nam reliquæ ingeniorum inepte curiosorum molitiones, præsumptæ puta præparations & correctiones, cùm simplicis radicis vim aut non attingant, aut eam invertendo corruptant, exspectationi neutquam respondent; uti æque ac nos jam dudum observavit *Cl. LENTILIVS, Archiat. Wirtemberg. Eteodr. Med. p. 64.* Exerit autem sic data radix suam vim *ðvw nqg nátw*, nempe excitando primùm aliquoties vomitum, hinc & alvi plus minus crebram dejectionem. Tanto effectu, ut intra hoc triduum ut plurimum dysenteria debelletur; siquidem hæc curatio scitè secundetur paucis quibusdam aliis remediis, at radicis usui necessariò interponendis & subjungendis, de quibus jam nunc.

XXII. Enim verò in confessò est, haec tenus commemorata & quæcunque alia cathartica, ut & ipsam radicem *Typhacoannæ emeticō catharticā*, evacuationem, quam concitant, præstare dupli ratione: & quidem ex parte dum ipsam massam sanguinis eique inharentes lymphæ partes mucientes, per intestina seu naturale fecerniculum secernendas & excernendas, colliquant; utcunque demum haec colliquatio fiat sive concitatō intensius cordis & arteriarum pulsu & hinc aucto motu sanguinis (ut vocant) progressivo & circum pressorio, attritorio; sive illata agitatione intestina quasi fermentante, perinde nobis est, cum nunc talia non queramus, modo de effectu hoc, qui est evidenterissimus, constet. Adhæc autem & ferè potissimum hinc illam procedere evacuationem, quod intestinorum tunica nerva, à particulis medicamenti cathartici sibi incongruis contacta, motum

motum peristalticum ad validiores excernendi nixus intendat & acceleret. Ex quibus utique obvium est colligere, hactenus quidem hæc talia medicamenta prodesse, quantum pollut effacia colliquandi, quantumque illa ad secretionem & excretionem aptatur morbi materia intestinalis vasculis excretoriis infixa: hactenus verò illa ipsa medicamenta incongrua esse, imo noxia futura, quantum motum peristalticum jam nimium ferocientem, additis quasi acrioribus stimulis, in tanto vehementiores *ataξias* concitant. Hinc est quod quæcunque exhibeantur cathartica, ut ut blanda & mitia, ipsaque imprimis *Pecocoanna*, primùm tormina simul atque reliqua morbi symptomata ut plurimùm exacerbent; usque adeò ut hinc fortè commoti imperitiores ab illorum usu penitus abhoruerint, & tragicis ea exclamationibus notaverint. Peritiores verò id quod res est probè animadverentes, eam esse materiae morbi conditionem ut nullis aliis colatoriis æque ac per eos ipsos, quibus inhæret, vasculorum meatus excretorios queat eyacuari; illis catharticorum incommodis emendandis allaborandum potius, quam hæc penitus spondenda esse vere existimaverunt. Ut rem in unam summam conferam, motus peristaltici convulsivam incitationem, quæ altera nostra erat indicatio, mitigare & in ordinem naturalem restituere conati sunt; & quidem non tam vano nomine vulgo jactatis specificis dysentericis, quam potius medicamentis opiatis anodynisi, ceu unicè ad mitigandam tantam vehementiam efficacibus: dosi & formula unicuique individuo accommodatis, & methodo paulò post dicenda; cum prius paucis & generali censu de illis sic dictis specificis viderimus, & opiate anodyna contra frivolam imperitorum & male formidulosorum reprehensionem adseruerimus.

XII. Sane si æstimemus singula fama remota, & quæramus non quid vocentur, sed quid revera sint, reperi-

mus illa usque quaque jaetata specifica dysenterica esse aut
nil minus quam vera specifica, sed his nostris indicationibus
accommodata medicamenta generalia, ut blanda cathartica &c.,
ut opiate anodyna, tantum non omni morborum generi
sub prudenti methodo medendi convenientia: aut quæ præ-
ter hæc sunt alia, deprehenduntur imbellia, vana, futilia.
Ea utique, quæ inter sexcenta illa à *Macasio* in *prompt. m. m.*
& *Hoffmanno* in *meth. med.* & aliis passim congesta, ferè
habentur potiora, ut est *sanguis leporis Martii*, (i. e. ne my-
sterium subesse credas, mense Martio à canibus violenter di-
lacerati) ut *priapus ceti* & *cervi*, ut *hepar serpentum*, *wipera-*
rum &c. vel pudet commemorare. Chymistarum rudiora,
qualia sunt *e colcothare vitrioli*, item *terra aluminis dulcis*,
erucus martis adstringens, cum cæteris congeneribus, quid
conferant, ex iis quæ jam supra diximus, cum in adstringen-
tium pessimam noxam animadvertisimus, constare potest. Re-
liqua paulò secretiora, ut *primum ens seu sulphur veneris* aut
vitrioli, *vere & sine narcosi anodyna &c.* Iepida quidem sunt
memoratui, ut est apud *Comicum*, at cum poscat usus,
tanta miracula nusquam apparent, sed spem credulorum mi-
re primum inflatam destituunt, fallunt: sic ut denique vel
ipse *Helmontius*, ille scilicet sulphuris anodyni jaetator ven-
tofissimus in sanguine leporis martii solatium quærat.

XXIV. Quæ cum ita sint, ut quemvis vel stultorum
magistra experientia docere queat, merito acquieverunt pru-
dentiores omnium seculorum Medici in opiatis anodynisi,
ceu unice pollutibus motus peristaltici convulsivi atque ad-
eò dysenteriæ domitoribus. Dico omnium seculorum Me-
dici, quod est verissimum. Testor ex ultima antiquitate ad
græcos transmissa *antidota*, *cataporia*, *trochicos*, à *Galen*, *Paulo*
Aegineta &c. compilata. Testor hinc ad nostras officinas phar-
macaceuticas propagata & hodierni adhuc usus, *Mithridatum*
Iheria-

theriacam *Andromachi*, *philonium* utrumque, *Romanum* & *Persicum*, *Micletam Nicolai* &c. Quorum omniū columen est opium: hoc tolle, quæ in compositionem aggregantur reliqua, erunt quisquiliæ, aut saltem curandæ dysenteriæ (ad quam hæc antidota omnibus seculis observata sunt in primis valida) nihil quicquam conferent. Par ratio est *diascordii Fracastorii*, ut & *massæ pilularum de Cynoglosso*: quam nuperi quidam Scriptores, qui contra opiatorum usum sine modo debachantur, commendare unicè solent; quod jure aut mireris aut rideas, cùm sanè & hæ ipsæ pilulæ quicquid præstant, ab opio habeant, quod basis compositionis est, & in tantilla dosi reliquis nil pollutibus, unicè efficax. Testor deinde propinquiorum ætatum *Laudana*, *Paracelso*, ejusque calatoribus *Crollio*, *Beguino* & aliis, ex opio concinnata; procul habitis, ut in re seria, sulphuris metallici anodynī nugis. Hinc *extracta theriacalia* variorum, *Quercetani* in primis, ejusque filiam *theriacam cælestem Greiffii*; (cujus singuli scrupuli ferè quatuor opii puri grana habent, ut experimento & calculo liquidissimo nobis constat;) quæ deinde varie obnupta, peperit, ceu numerosam sobolem ea undique jactata *arcana dysenterica*, quæ ætas patrum nostrorum tanquam singularia & quovis pretio redimenda suspexit, nunc verò velo aut amoto, aut sanè nimium pellucente, ex communi omnium massa, opio, unusquisque non imperitus fictor, ut lubet & singularibus circumstantiis convenit, ex tempore producere novit. Ii autem qui in talibus minus sunt versati, sibive diffidunt habere in promptu possunt tot *pulveres*, *essentias*, *extracta anodyna*; quoram sanè unoquoque dextere & prudenter, ut exigunt leges methodi medendi, exhibito, quivis peritus Medicustoties quoties sine vanitate itidem præstat, quod olim *Soliforum* jactabat gloriatio. Ex numerosis tamen illorum anodynorum compositionibus nos seli-

geremus, ut frequentissimo experta usu, *Landanum liquidum SYDENHAMII*, justæ consistentiæ, & pulverem *anodynum LUDOVICI*; non solum ut dispensatu sub quilibet formula cominodiora, sed & propter exquisitè determinatam dosin omnino certa & tuta, denique efficaciora ceteris, quia opium exhibet sine castratione optimè depuratum.

XXV. Huic universali omni seculorum experientiæ, qui ausi fuerint contravenire pauci omnino exstiterunt, & non nisi futilia causati. Ex antiquis solus fere est *Trallianus lib. 8. c. 8.* loco prolixiore quam ut hoc transcribatur: ex quo tamen si rectè inspiciatur apparet, cum non tam notare prudentem anodynorum opiatorum usum, quam potius pessimum abusum, quem imperiti sui seculi Medici commitebant temerè exhibitis pastillis narcoticis, ex mandragora & hyosciamo inconditè opio admixtis. Sequioribus vero temporibus multos in diversum traxit unius *Thoma Minadoj Medici & Professoris Itali Auctoritas*, quæ huic viro videtur fuisse summa. Is nimis (ut discipulus ejus *Thonerus lib. 3. obs. 8. refert*) adseverat se observasse omnibus dysentericis male cessisse ex consilio nonnullorum Medicorum exhibitum laudanum opiatum: & addit hanc rationem, ulcera intestinorum illius usu magis putrida & sordidiora fuisse reddita, sufflaminato materia purulentæ & acriorum hnmorum exitu. Sic ut hinc concludat ipse Thonerus, narcotica in dysenteria tandem fieri necrotica; Quam næniam posthac plures sequentium atatum Medici iteraverunt, etiam quod mireris illi, non nisi manifesta vanitatis specie, quibus jactata illa dysenteria arcana, (id est, ut modo vidi mus ipsum opium) utramque curationis paginam faciebant; non minus ac reliqui qui præ ceteris utcunque cautiores vulgo videri cupiebant. Nullâ adhibitâ consideratione quale illud

illud fuerit Minadoo exosum adeò laudanum? cum tamen constet eà ætate passim non nisi rudiores vulgò innotuisse ejus compositiones: porrò an satis opportunè & convenienter fuerit exhibitum? cum quidem vel ex ipsis chymicorum prudentiorum querelis v. gr. Hartmanni, & Quercetani, in confessio sit Chymistarum ejus ævi vulgus fuisse omnis sanæ doctrinæ & methodi medendi expers, sic ut illis exhibentibus vel optimum remedium non potuerit non esse, quod est gladius in manu furiosi. Ut nil dicamus de falsa morbi ætiologia, materia nempe purulenta vel saniosa; nimurum ex intestinorum exulceratione, quam ceu causam dysenteriæ cum Minadoo illi supponunt; cum potius hæc morbi male cedentis, & nimium ferocientis agitationis convulsivæ intestinorum (omnium optimè imò unicè anodynus opiatis mitigandæ) consequens sit, ut ex hac tenus dictis liquido constat.

XXVI. Non est igitur ut & nos auferamur hac Minadoi & Thoneri nænia: præsertim cum ejus futilitatem jam dudum redarguerit HORSTIUS *obs. Med. lib. 10. obs. 3.* & tantum non infinitis Medicorum nostri ævi experimentis contrarium planissime constet. Sic ut tutò credi possit VVELIO in *opilog. p. m. 121.* adseveranti sine opio nullam veram dysenteriam commode curari posse: & cordato LUDOVICI monito *suppl. pharm. p. m. 13.* absque opiatis & theriacalibus, per clysteres saltem aut præcipue laxativa, internaque abſtergentia, pureque stringens, nil aliud agi, quam agrum intolerandis tormentibus confectum, & quinquages sepe una nocte exsurgentem, hinc & vigilis, apepsia &c. exhaustum, officiōe letho dari: porro illustri BRUNNERO in *Miscell. nat. Curios. decur. 2. ann. VI.* ingenue profitenti sibi in curatione dysenteriæ utramque fecisse paginam theriacalia; his tamen incassum laborari, nisi succenturientur opiatæ, remedia

media plane divina in hoc morbo: Denique SYDENHAMIO oper. p. m. 229. contestanti, vel à frequenti laudani líquidi repetitione ne minimum quidem incommodi sibi adhuc videre contigisse (quantamlibet noxam inde securam comminiscantur inexperiti) licet plures noverit, qui in morbo contumaciori idem ad septimanas aliquot continuas quotidie usurpaverint. Quo sane quatergemino Medicorum nostræ ætatis principum testimonio veracissimo malumus niti, quam utcunque argutis, at opinionibus male firmis conceptis, aliorum theorematibus; illorumque prudentiam Medicam, Summis atque Imis perspectissimam, multo utique malimus imitando consequi, quam possidere si sine hac sit totum arcanorum dysentericorum plaustrum.

XXVII. Et hæc quidem hactenus erant deducenda paulo explicati, ut adsereremus indicationum à nobis ad ductum nostræ ætiologiæ constitutarum veritatem: nunc autem ceu imminentes portui vela contrahemus, paucis visuri qua methodo peritores Medici opiatis anodynus huc usque fuerint usi. Observamus autem plerosque methodum sequi SYDENHAMII. Nempe blandum catharticum, quod aut primo triduo singulis diebus mane exhibent, aut ad ternam vicem alternis diebus iterant, quam primum concitatis evacuationibus suo munere functum est, illicò hora pomeridiana quacunque subjungunt justam anodyni dosin, & quidem ipse SYDENHAMUS laudani sui liquidi gtt. XVI. XVIII. XXV. quam dosin posthac ut & reliquis diebus quibus catharticum non exhibetur, identidem singulis octo horis repetit: qua ratione utcunque commoti à praemissô cathartico tumultus mature sopiuntur, hinc & tormina simul atque excernendi importuni nixus sic moderantur, ut post has inducias sensim colluvies dysenterica exhauiatur. Eadem procedit methodo HELVETIUS, & eum sequentes

alii,

aliū, qui loco catharticorum exhibit emetico - catharticam radicem *Ypecacoanna*.

XXVII. Quæ quidem methodus etiamsi multis comprobata experimentis, adjunctam tamen hanc habet difficultatem, quam & nos declaravimus, quamque nec ipse negare potest SYDENHAM IUS: qui l. c. est verò, inquit, *satis obvium medicamenta cathartica etiam lenissima, & tantum exuonem percutiā, ventris termina intendere, spirituum etiam dejectionem atque atraçias universalem agro inferre, adventio nempe eo tumulū quo sanguinem ac humores commovent inter operandum.* Quid igitur obstat, si reperta fuerit methodus, qua colluvies illa Dysenterica sine catharticorum tumultu efficaciter evacuari queat, quin imò simul una compesci & in ordinem redigi illa motus peristaltici, quam ipse morbus infert, *atraçia terminofa;* atque adeo una eademque opera & tutius & citius & jucundius effectui dari utraque à nobis præfinita medendi indicatio: Quid obstat, dico, quin huic methodo, si qua talis est, præ illa insistamus? nil sane. Est autem hæc methodus perspecta non solum ratione, sed & experimentis comperta sæpius iteratis: videlicet ea, ut rem ipsam paucis plane dicam, cum medicamenti cathartici & anodynī justa dosis, quæ & evacuationi quam molimur & mitigandis illis motus peristaltici violentis turbis ex æquo par esse queat, in unam coaptetur formulam, indeque coalescens remedium *anodynō - catharticum* dextrè idemtidem exhibetur. Evidem non dubito fore qui obtendant, quid monstrare remedium anodynō catharticum: ex illis nimirū quæ sunt directè contraria: ut pote motus inferunt medicamenta cathartica, quibus cietur evacuatio, opiate autem eosdem motus cohibent & reprimunt. Sic ferè opinantur inexperti. Res tamen secus est, aut saltem non ita crude dijudicanda. Enim verò ut duplex & diversus observatur à catharticis motus,

E

alter

alter in ipsa massa sanguinis, quo ejus sit colliquatio; alter in intestinis, quo stimulantur ad nixus excretorios: sic hunc quidem opiate anodyna compescunt, dum influxum spirituum animalium in muscularam & nervosam intestinorum tunicam moderantur, vel (ne videamur hic nisi theoria quasi precaria) quacunque demum ratione hanc tunicam sic afficiunt, ut stimuli cathartici vim aut minus sentiant, aut ei minus auscultent; illum vero qui a catharticis in ipsa massa sanguinis cietur, motum colliquatorum tantum abest opiate anodyna ut coercant vel ut canque invertant, ut cum potius (particulis qua pollent sulphureo-salinis valde subtilibus & mobilibus) augent, promoveant, & socia quasi opera juvent; atque adeo eam quam nos desideramus materiae morbi evacuationem sine tumultu praestent. Ne autem arguamur indulgere & nos, ut saepe fit, istiusmodi speculacionibus, quarum in praxi nec usus est, neque successus, provocamus ad experientiam: qua saepius compertum novimus, faustissimum anodynū opati cum cathartico connubium, salutari effectu nonsolum expectationi respondisse, sed & eam non semel exsuperasse, utpote morbo repente expugnato & hinc ocyus utique redintegrata sanitatem, quam & ægroti & ipsi nos sperare fuissimus auſt. Ex multis aliis exemplis, quæ cognovimus, unum quod in recenti memoria est, non tam enarrare, ne rædio sit prolixitas, quam sub indicare liceat: nempe quinque Dysentericorum quos nupera tempestate epidemica decumbentes simul una habuit familia civis honesti Johannis Maji; quorum singulis, medicinam pro sua prudenter & dexteritate faciente D. D. van den VELDE, sic salutaris Dei munere fuit remedii anodynō - cathartici usus, ut brevi omnes pariter sanitatem recuperaverint, hac solum differentia, quod eorum tres, hinc habuerint potissimum auxilium, duo vero in primo morbi principio exhibito uno

hoc

hoc remedio, omnium opinione citius convaluerint; & quidem mulier LXII. annorum intra triduum, ejusque filius triginta & aliquot annorum intra biduum. Cæterum non est cur hujus nostri remedii anedyo cathartici aut specialem demus descriptionem, aut pluribus exequarnur, quomodo, quando, quibus &c. sit adhibendum; cum quidem hæc & in genere determinati nequeant, & exercitatis in speciali methodo medendi Medicis [quibus ut in talibus prompta facultas est, sic optio libera.] nos utique nihil præfiniamus; Medicastris autem in capita hominum nova quasi arma suppeditare, nefas sit.

XXVIII. Ut autem experientia teste hoc remedium anodyno catharticum, siquidem mature & opportune adhibetur, brevi utplurimum morbi vehementiam propellit, atque adeo veram & simplicem Dysenteriam potissimum expugnare valet: sic præter hoc ejusque similia, reliqua curatio absolvit paucis oppido potest, iisque omnino blandis: quæ inter ad diluendam, maturandam, & mitigandam morbi materiam, ejusque excretionem tanto magis facilitandam, accommodatissimi usus sunt diluentia, aquæ, calida. Hinc serum lactis cum conserva rosarum calide atque affatim bibendum jam dudum commendavit HEURNIUS. Eoque solo sic hausto & per clysteres aliquoties ingestu, atque subjunctis tantum singulis octo horis laudani liquidi dosibus, Dysenteriam se feliciter sèpius debellasse, adseverat SYDENHAM l.c. quod & suis experimentis confirmat Baglivi lib. de Inflaur. Prax. Med. p. m. 78. sunt qui ad eundem hunc finem præferunt aquas naturâ medicatas, non tamen æque acidulas, quam potius thermales, sale alcalino puro aut huic immixto sale enixo blando pollentes. Sane Itali Medici & paulo antiquiores v. gr. FALLOPIVS de Therm.

*Therm. c. II. & CAESALPINVS in quest. Med. XXI. & de
Med. facult. lib. 2. c. 12. maximopere commendant aquas
thermales Montiscatini, ut & Tetutii dictas in Hetruria; &
recentiores præter istas, ut ex Baglivio & aliis constat, aquam
di Nuccera; solentque easdem aquas thermales, ut SYDEN-
HAMIUS serum lactis, copiose & potandas exhibere, &
per clysteres infundere. Quibus aquis tantopere prædicatis,
effectu si non potior certe similis est aqua Thermarum [qui-
bus ceu Dei dono eximio gaudet nostra Hassia] Berstadien-
sum, quæ nomine des Schlängen-Bads meritissimò sunt
inlytæ. RYNNERS Msc. Nat. Curios. loc. cit. heic suadet,
ceu singulare abstergens, succum ex contusis can-
cris expressum, & ex jusculis calidis propinandum. Nos ut
non negamus singulis his suum hic posse locum esse, sic ta-
men magis accommodata censemus decocta vel infusa para-
nda ex paucis omnino iisque selectis speciebus v.g. ex rad. al-
thæ sponariae, symphyti majoris [quæ sic non ut vulgo puta-
tur styptica est, sed mucilagine tenera & lubrica utilissima]
polypodi, ut & lechtiorolla, semine malva, anisi stellati &c.
istiusmodi sorbitiunculae calidæ, suaves, molles, demulcen-
tes, ut tornina commitigent, ut secessum materiae morbi
maturent & expediant, sciunt experti. Præsertim si & ext-
tus jugi calore humidulo & demulcente foveatur abdomen;
obtectum sc. reti vervecino in ol. amygdal. dulcium & pauxil-
lo nuc. mosch. express. emollijo & calefatto, quem fotum
externis omnibus experti præferimus. Uti ex enematibus uni-
cè probamus id, quod est efficacissimum, ex diascordiū 3vj
ad 3j cum latte dulci; versus noctem infundendum, aut
ex his modo dictis paratum, euporistion & quasi domesticum;
reliqua & vana sunt, & inutilia, ut multorum anmadversio-
nibus jam dudum in confessio est.*

XXIX. Nobis sanc in his paucis ad ductum nostrum indicationum prudenter adhibitis , abunde satis remediorum est : sic ut miram eorum farraginem, quæ passim commendatur ab Auctoribus ex *Walteri sylva Medica* vulgo notis , item in nupero *theatro practico* , Medicastrorum promptuario &c. nos sanè non moremur . Qui paria nobiscum fecerit , expertius idem sentier : & quicquid post exhaustam colluviem Dysentericam restiterit turbarum , his iisdem aut opportune subjunctis theriacalibus blandioribus , à nobis supra laudatis , profligare norit : inter quæ ceu potissima habemus diacordium Fracastorii & theriacam cælestem . Sunt tamen utraque exhibenda dosi non ea qua solent , sed quæ sufficit . Sin verò evicto morbo , atonia ventriculi & intestinorum flatulenta , chyli confectionem & distributionem , ut fete sit , remoretur aut turbet , ea tonico - stomachicas & carminativas erit corrignenda : q. s. effēnt, carminat. Wedelii sub triplo essentia terra catechu miscenda : pluribus profusse scimus elix. viscerale D. D. van den VELDE . Adstringentia verò quæcunque rudiora , ut nusquam prodeſſe , sic in his ex atonia turbis , quibus solent ab imperitis opponi , & fruſtra & cum insigni danno data fuſſe novimus .

XXX. Quæ præter hæc sunt alia ſymptomata , ut cunque gravia & prætentillimum periculum minitantia , eorum aversio , quam tertia noſtra medendi indicatio desiderat , præcipue depender à matura ipsius morbi expugnatione , vel faltem commitigatione illius vehementia ſpasmodicea qua intestina solent atteri & dilacerari : sic ut ea nequidem metuenda veniant , si in principio morbi accersitus Medicus , prioribus indicationibus , ea qua diximus ratione , justa fecerit . Sin verò longius progreſſo & efferato ſupervenerint & jām urgeant illa ſymptomata , ut verum faciemur , in arceo eſt ſalus , & tantum non conclamatum eſt , ſunt au-

tem hæc aut hæmorrhagia Dysenterica profusior , aut intestinorum inflammatio , aut exulceratio vera , id est saniosa , aut denique gangræna & sphacelus . Non equidem nescii sumus hæc pleraque totâ die curari splendidissime : at in cathedris vel museis hariorum , hoc est theoreticorum nugatorum , aut in angulis & circulis hominum vel fanaticæ phantasticorum vel vanissime garrulorum : quam difficillime vero & rarissime revera sanentur , sciunt & humanam imbecillitatem agnoscunt , qui sobria ratione & rerum usu sapiunt , Medici veri & candidi . Sane ista hæmorrhagia , nisi committigata tormentum violentia , per illa ipsa sepius nobis at nunquam satis laudata anodyna , quiescat , in reliquis parum est opis . Nam et si stypticis rudioribus & austerioribus interdum queant occludi attrita & utcumque hiantia vascula , sieque cohiberi sanguinis effluxus ; tamen nihil certius est , ut norunt experti , eo sic cohibito , vix evitabile esse malum longe gravius , profundam puta inflammationem , & prompte quasi ruentem in gangrænam & sphacelum . Adstringentia verò & *ixalipa* remissiora hic nihil potesse , nimium utique notum est . Quid sperandum sit à stypticis subtilioribus , tonum fibrarum sensibilium & motricum prompte alterantibus , inter qua forte practipua est *Tinct. terra vitrioli dulcis* , extrahenda spiritu ex p. aq. salis & nitri destillato &c. crebrior c. D. & d. docebit experientia . Ad inflammationem internarum partium discutiendam , potest aliquid , ut multis experimentis constat , *camphora cum nitro mixta* ; ut & *emulso semenis cardui Marie* , *cannabis* &c. large *nitratæ* , & idemtidem affatim haurienda . Si his non auscultet inflammatio intestinorum Dysenterica , hoc est in partibus teneris , sanguine multo suffusis , & violenter adeò convulsis ; ab aliis utcumque jactatis remediis ne quidem spem bonam conceperim , ne dum ut bonum successum promisebam.

tim. Exulceratam corporis humani partem consolidare, unius naturæ opus est: reparantis fibras carneas divulsas, erosas, aut utcunque destructas, actu nutritionis; lympha sc. illa nutritia ex qua & singulæ partes coaluerunt & jugiter instaurantur. Hic igitur id solum arspoteft, ut tollat impedimenta, quæ huic naturæ actui obstant: videlicet saniem illam septicam eluat, abstergat. Hoc quam parū praestent decocta illa *vulneraria*, quæ passim mirā fiduciā, utique patientium mirā patientiā, ad aliquot amphoras aliás bibuntur, vel hinc constare potest, quod hæc talia vel externarum partium ulcera, quæ tamen manu Chirurgi possunt his lavari & clivi, adeò non purgent, ut potius aucta putredine ea fōrdidiora faciant. *Succus cancerorum* heic mire prædicatus, quam pronus ipse sit ad putredinem, vel mulierculæ in culinis experientur; ne dum ut miseri hinc expectent sanici putridæ exulceratorum intestinorum abstersionem & depurationem. Has difficultates animadverentes Medici Britanni, v. gr. *Willius*, *Mortenus* *Pthysiol.* lib. 1. c. 5. & alii, præmonstratore *BOYLIO* lib. de U. P. E. ausi sunt propinare aquam calcis: quam ut remedium tutum, sic & omnium efficacissimum internorum ulcerum, vel inveteratorum, abstergens commendant; quod & repetitis *Clar. MEIBOMI* experimentis olim comprobatum fuisse meminimus. Id verò remedium reformidant Medici cauti, ut libenter audiunt, hoc est, præter remedia expectationis & alia tralatitia, nihil audentes. Cæterum qui hanc exulcerationem *balsamis vulnerariis*, fermentum quasi putredinosum auferentibus, medicabilem esse confidunt; eos saltē monitos velim, ut attendant ad internos ardores, qui fere sunt istorum ulcerum individui comites, hinc quæ discant abstinere à *balsamo sulphuris terebinthinato*, i. e. omittant oleum ignis suffundere, ni velint suo jumento accersere, quæ sane intestinis sic affectis ultro instat, gangrænam. Securior quidem est usus *balsarorum* aut *nativorum*, ut *Tolutani* & *Peruviani* veri, aut *artificialium*, quale in primis est *Lucatelli*. Sedan &

hus

his unquam constiterit desideratus effectus , nempe vere exulcerata intestina sanata fuerint , ut meritò dubitamus , sic sane mallemus ipsi veris experimentis edoceri , quam alios ad id credendum temerè inducere . Gangrenam & sphacelum intestinorum jam præsentem , qui jactant se unquam sanavisse , aut sanari utcunque posse , ut est mira nostrorum medicorum vanitas & impudentia , eos quidem , si velint inter sanos homines numerari , ut se prius helleboro lustrent , ex formula antiqua jubeo . Sed ohe ! talium satis est .

XXXI. Quod igitur nobis unice restat , regimen victus Dysentericis conveniens , exsequemur paucis . Nam in generali tractatione scrupulosè exigere quorumcunque alimentorum , & singulis convenientem catalogum , einen Küchen-Zettel / otio est nequicquam abuti . Hoc est quod in genere dici & potest & debet , tenuem omnino diætam , propter apepsiam , Dysentericis convenire ; eam tamen quantum fieri potest sufficientem . Abstineatur autem , in primis si ut plurimum fit , nidorosa cruditas sublit , à carnium quarumlibet esu , ut & jusculis hinc paratis paulo fortioribus ; præter gallinarum aut gallorum veterum jura diluta , quæ fere sunt nitrose salsa , hincque abstergentia &c. reliquis cunctis tunc vix erit locus . Magis apta sunt & demulcendi vi quasi cataplasmatica prosunt , pultes vel ut antiquis vocabantur , ptisanaria ex hordeo , oryza , avena , post sufficientem cocturam percolata , & ad justam spissitudinem igne lento ulterius excocta , butyro recenti saccharo & pauxillo nucis moschatæ suavissime condienda . Potus non nisi omnino dilutus & diluens atque demulcens sit . Absit igitur quicunque in canali alimentorum quasi fermentando promte acepsit , vel utcunque inacrescit . Hinc per omnem morbi decursum interdictus esto usus cerevisiæ fortioris ; ut & vini in principio & augmento . Cui tamen sius locus esse potest sub morbi decli-

declinatione, ubi ventriculus & intestina atonia languentia confirmando sunt: rubello in primis, & inter illa hēc accommodatissimo, quod *Vin Tint* vocatur; ut & aliis paulo generofioribus & lenibus, quale *Canariense* & in primis *Galicum*, *Frontinian Muscat.* &c. siquidem aut modicis sorbillis, aut una cum pane bis cocto assumantur. Aqua thermatum Berstadiensium, Embensium, aut his similes aliae saluberrime Dysentericis bibuntur sub calidæ, ubi earum copia est: si non est, serum lactis commode substituitur; utriusque sane potus ut non ingratus, sic Dysentericis in primis in morbi principio & progressu convenientissimus est. Hæc autem ubi aut deficiant aut respuantur, decoctum C.C. corticibus citri & cinamomo conditum pro potu ordinario haberi potest. Lac, ut ut promiscue Dysentericis commendetur, tamen in principio & progressu Dysentericæ, inter tantas sortes promptissime coacescens, hinc gravissime putrescens, non habet locum: Evacuatâ verò colluvie Dysentericâ non paucum ægrotos reficit, in primis si dilutum aut illo aut baccharum Caffé decocto ægris propinetur. Cæterum calor, quies & tranquillum animi atque corporis regimen, ut in omni ratione vietus inter præcipua sunt, sic Dysentericis usque adeo necessaria sunt, ut sane suam is animam odio habeat, qui nec se continere, neque vel hīc quiescere potest.

ERRATA.


P Ag. n. l. 13. contigisti lege contigisse, & l. 30. insignetur lege insigniter p. 12. l. 8. ad urentes lege adurentes p. 13. l. 16. quantum lege quantam. p. 14. l. 1. ebullisse lege ebullisse, p. 20. l. 23. torninalege torninosi dolores & l. 26. vagentes lege vagantes. p. 24. l. 9. præceptore lege præceptor. p. 30. l. 24. lege sufflaminato & l. 29. lege Dysenterioa.

Ug 172
SI

ULB Halle
003 018 105

3





JOH. GEORGII BERLENBACH,
Medicinae Licentiatii,
DIATRIBA ACADEMICA
DE
DYSENTERIA,
Vulgo
Gon der rothen Ruhr.



MARBVRGI CATTORVM
Typis PHILIPPI CASIMIRI MÜLLERI, Acad. Typogr.
ANNO CCCCCXVIII.